NONNULLA DE

CONTAGIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VI. MENS. IULII A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PHILIPPUS HENRICUS WOLFF
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
D. FUERSTNER, MED. ET CHIR. DD.
C. M. SPONHOLZ, MED. ET CHIR. DD.
O. GEISLER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, ILLUSTRI,
EXPERIENTISSIMO

J. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, COLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS, MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, POLICLINICI UNIVERSITATIS DIRECTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MAXIME VENERANDO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HENRICO WOLFF

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. CAPUT. DE CONTAGIIS GENERALIA.

Inter illa pathologiae principia, de quibus, opinionibus vehementissime variantibus, adhuc lis est sub judice, theoriae variae de contagiis atque miasmatibus non infimum tenent locum. Etsi enim de diversis morbis iis provocatis multorum egregiorum scriptorum optima exsistant opera, tamen quo modo illae materiae peccantes in corpus humanum agant et quis sit primus eorum effectus, quem infectionem et contagionem vocamus, non omnino constat, quum de ea re auctores maxime discrepent.

Jam definitio contagii et ejus diversitas a miasmate nobis affert tales dissentiones. Secundum nonnullos contagium vehementer a miasmate discrepat, quum illa tantum materia venefica *contagium* sit habenda, quae *contactu* ab uno homine vel animali ad alterum translata eundem producat morbum, quo primus laboraverit. Miasmata autem quaedam materiae aëreae et volatiles, e paludibus vel corporibus organicis putrescentibus ortae.

Alia autem opinione, cui nunc fere omnes medici adhaerent, sicut *Krukenberg* (1), *Hecker* (2) etc. discri-

(1) in pathologia generali.

(2) in Rustii Lexic. sub contagium.

men illud inter contagium et miasma non solum a contactu vel ab infectione sine contactu dependet, sed statuitur, contagium tantum morbi cujusdam specifici esse productum, quod eundem morbum aliis in hominibus producere possit, ita ut non modo contactu, sed etiam aëre propagari possit, dum miasmata originem quidem non ducant a morbo quodam specifico, attamen semper provocant specificum talem morbum, etsi ipsa vario modo in atmosphaera sint orta, vel ex organicis corporibus putrescentibus, vel generatione quadam aequivoca ex materiis elementariis simplicibus.

Tertiam autem theoriam ingeniosissime exposuit Ill. *Harleſs* (1), qua prima origo eadem est et contagiis et miasmatibus; discrimen igitur in gradu atque magis vel minus completa chemica commistione est positum. Haec gradus atque commistionis diversitas non solum inter contagia atque miasmata, sed etiam inter miasmata atque illas materias, quae constitutionem quandam epidemicam non contagiosam, sicut rheumaticam vel catarrhalem efficiunt secundum eundem est observanda. Omnibus enim et epidemiis benignis, et contagiis *incompletis* (ut vocat miasmata) et completis ex toto ambitu rerum naturalium est prima generatio, itaque vel ex corporibus organicis et quidem plurimum non ex animalibus et plantis vivis sed potius e mortuis, processu putrefactionis, vel, ut jam supra est dictum, generatione quadam aequivoca, nempe compositione materiarum elementarium mineralium.

At a) materiae constitutionem quandam epidemicam non contagiosam formantes vel tales sunt, quae per se

---

(1) Harleſs. Untersuchung über Natur, Entstehung und Ansteckungskraft des gelben Fiebers. Nürnberg u. Salzburg 1805.

omnino non nocentes, immo interdum factores et principia organismi ipsius sunt, sicut Oxygenium aut Electricitas, itaque nimia quantitate tantum fiunt nocentes, vel jam qualitate et perniciosa chemica commistione nocent, quae tamen commistio semper remanet chemica, id est binis modo elementis composita, dum

b) contagia incompleta semper ternis vel pluribus materiis elementariis sunt concreta, itaque nisi ipsa organica corpora propter deficientem propriae vitae vim sunt habenda, tamen certo corporibus tali commistione compositis nisus formativus propriae organisationis inesse debet. Sin igitur altera parte non mirum videatur, quod tam saepe alia contagia incompleta ex illis benignis epidemiis variis ex causis gignuntur, quum eandem cum iis habent originem, altera parte

c) omnia contagia completa primariam originem ex incompletis ducunt, quum haec ut potentiae nocentes et organismo omnino heterogenae adeo illum essent aggressae cumque adeo mutassent, ut hac mutatione nova, primariis materiis similia producta sint orta, id est contagia completa. Quae contagia, quamquam plurimum sunt fixa, id est vehiculo quodam aquoso vel solido adhaerentia, tamen interdum secundum *Harless* etiam volatilia esse possunt, itaque non solum contactu sed etiam aëre propaganda.

Magis etiam quam de origine contagiorum, de eorum effectu auctores dissentiunt et quidem tres principales exsistunt hac de re opiniones secundum Clar. *Hartmann* (1): nempe prima eorum, qui pathologiae humorali favent, contagium sanguinis aliisque humoribus primo se immiscere eorumque chemicam metamorphosin efficiens, in caeterum agere organismum, altera eorum, qui in so-

(1) Hartmanns allgemeine Pathologie. Pag. 586.

lidis corporis partibus vim vitalem ponunt, contagia specifico quodam incitamento in nervorum, musculorumque fibras agere docens; tertia, qua contagionis processus cum generatione comparatur, itaque contagium ipsum cum semine, vim genitricem continente, organismus cum corpore materno materiem plasticam novae organisationis reddente.

Primam quidem harum opinionum optime refutavit *Hartmann*, secundam autem non plane refutavit, sed tantum, eam totam contagii effectum non satis plane explicare dicit, et tertiam, quam ipse nuncupat ingeniosissimam, omnino non refellit, cui tamen opinioni et praestantissimus *Schoenlein* (1) adhaerere videatur, docens: Contagia semper e morbis spontaneis gigni, sive in pluribus, sive in singulis individuis prima apparentibus, sicut animalia, superiori organisationis gradu praedita, ex animalibus inferiori modo organisatis et ejusdem classis evolvi. Optime autem *Harleſs* hanc sustinuit opinionem, docens, omnia contagia, inferiores esse organismos, qui, quum ipsi sint sine generationis vi, ex alienis corporibus, quibus adhaereant, et quibuscum ita se conjungant, ut ab iis separari non possint, hanc propriae vitae facultatem hauriant. Itaque non cum animalibus vel plantis parasitis sunt comparanda, quae generationis organis non carent, et organismo tantum alimento utuntur atque proprios formant organismos ab illo, in quo vivunt organico corpore, sejunctos.

Quod autem ad Ill. *Hartmanni* propriam opinionem de contagiorum effectu attinet, haeream, quin ei album calculum adjiciam. Contagium enim secundum eum

---

(1) Schoenlein: allgemeine und specielle Pathologie und Therapie. pag. 8.

a) primo illam in partem agit, in quam primo erat translatum, sic contagium syphiliticum, partium genitalium, contagium scarlatinae in palati, contagium morbillorum in organorum respirationis membranas mucosas.

b) Inde a loco contagionis processus contagiosus totum correptum organon et tum ea pervagatur organa, quae illi sunt simillima, ita in Syphilide primo membranae pituitosae et deinde periosteum laborant.

c) Quum autem variis organis varius insit receptivitatis gradus, contagii productum ut exanthema non in omnibus aequali quantitate et qualitate apparet.

d) Turbationes et reactiones, quae caeteris in organismi systematibus producuntur exempli causa febris in exanthematibus non primarii incitamenti effectus, sed potius sequelae sympathiae sunt habendae, quae inter affecta organa atque caetera organismi systemata exsistit.

Duae primae hujus theoriae partes ad illa contagia, quae contactu tantum propagantur, quidem bene sunt adhibenda, quod tamen ad volatiliora contagia spectat, omnino sufficere non possunt. Quaenam pars vel quod est corporis organon, quod primum Typhi contagii sedes significari possit? ulcera enim glandularum Peyerianarum et specifica illa inflammatio intestinorum, quas *Broussais* primos hujus contagii effectus nuncupat, non semper apparent, et si adsunt non primariae sed secundariae affectiones esse solent. Quo corporis loco Cholera indica primo apparet? Immo etiam de primario contagii loco in exanthematibus acutis, nempe morbillis, Scarlatina, variolis non plane inter medicos convenit, quum alii in cute, alii in respirationis vel deglutitionis organis primam eorum ponant sedem!

Quod autem ad sub c) dictam *Hartmanni* opinionem,

optime constat, nonnullorum contagiorum producta non solum minore quantitate et qualitate apparere in organis, sed in multis omnino nunquam reperiri, sicut exanthemata acuta nunquam in cerebro vel hepate, Typhi contagium nunquam in ossibus habent sedem.

d) Febris autem, id est systematis vasorum sanguiferorum reactiones contra incitamenta semper sequelas esse affectionis primariae alicujus contagiosae non plane eluceat, quum in exanthematibus acutis, ut constat, febris semper eruptionem in cutem et affectiones locales in deglutitionis vel respirationis organis anteeat.

Alia igitur lex, qua contagia in organismum agant, profecto exsistere debet, quam tamen explicare eo difficilius esse videatur, quum de utriusque partis, de quibus hic agitur, nempe de contagii et de organismi vivi propria atque insita vi nobis adhuc fere nihil sit notum. Quamquam autem, sicut jam dixit magnus *Hallerus:*

Nulli mortali ecce adeunda unquam intima rerum!

illa vitae essentialis vis a nullo facile explicetur, neque unquam quis ex ministro naturae hoc modo magister fiat, ut omnia ultima ejus principia atque leges illi sint notae, tamen externis e phaenomenis aliquam de illa vi, qua sint genita conjecturam facere nobis liceat.

Quum autem a variis medicorum scholis vis vitalis variis in partibus vel systematibus organismi sit posita, ut ab aliis in humoribus, ab aliis in solidis, non mirum videatur, quod illi etiam contagia in humores, hi in solidas corporis fibras agere docuerunt. At jam dudum in propatulo est, non illi, vel huic organismi systemati soli vitam inesse, sed potius omnibus simul; formasque tantum variare, sub quibus vis vitalis in corporibus organicis appareat. Quae tamen formae tres sunt, nempe *reproductionis, irritabilitatis* atque *sensibilitatis,* quae tamen

non sicut partes insunt vi vitali sed ut diversi agendi modi, ita ut, quum lex sit vi vitali imposita, contra incitamenta reagendi, omnes hae tres ejus species hanc subeant legem, sed quaeque proprio modo, et eo magis quo incitamenta specifica cuique magis respondeant. Quum autem contagia sint talia incitamenta specifica, etiam illa agunt secundum eorum compositionem vel praecipue in reproductionem, vel in irritabilitatem vel in sensibilitatem. Itaque in organis vel systematibus illis, quibus hae tres formae insunt, nempe a) in systemate vasorum lymphaticorum et glandularum, quod ad reproductionem, b) in corde atque vasis sanguiferis, quod ad irritabilitatem, c) in nervorum systemate, quod ad sensibilitatem, multos variosque processus specificos provocant. Quantum enim discrimen inter morbos, qui illis contagiis sunt producti, quae praesertim agunt in systema vasorum lympathicorum, ut syphilidis, vel scabiei, et inter illos, qui contagiis praesertim systema vasorum sanguiferorum aggredientia sunt orti, sicut morbilli, scarlatina, variolae, et illos, quorum principalis sedes est nervorum systema, ut Typhum et Choleram!

Quam diversi tamen sunt morbi atque affectiones reproductionis ab illis irritabilitatis vel sensibilitatis, semper erit memorandum, et reproductionem et irritabilitatem et sensibilitatem, varios tantum esse modos, quibus vis vitalis organismum regat, itaque iis affectis semper vim vitalem ipsam affici, quare, uno horum systematum praecipue laborante, duae altera omni affectione vacare non possunt sed sympathice sunt correpta; discrimen igitur inter varia contagia tantum secundum eorum primarium atque principalem effectum vel in uno vel in altero horum systematum erit statuendum.

II. CAPUT. DE CONTAGIIS, QUAE PRAECIPUE SYSTEMA AFFICIUNT VASORUM LYMPHATICORUM.

Primam contagiorum partem, quam in inferioris dignitatis atque structurae organa, nempe in vasa lymphatica atque glandulas, itaque in reproductionem agere dixi, reproductionis quoque legibus obsequi debere, certum est.

1. Princeps autem systematis reproductionis illa est lex, abs qua etiam nomen duxit, nempe reproducendi, i. e. aliena corpora organica in suam propriam formam redigendi, vel ut dicitur, assimilandi, aut b) nova organa vel caeteris corporis organis similia vel ab illis omnino discrepantia formandi. Quod ad primam hujus legis partem attinet, raro quidem illa ad contagia erit applicanda, quum eorum a corporis sana structura summa diversitas atque perniciosa chemica commistio impedire soleant, quominus vasa lymphatica propria vi eorum infestam in organismum actionem deleant, atque inermibus tali modo iis redditis, ea ut corpora innocentia organismo assimilent. Attamen interdum inveniuntur, qui nonnulla aliis hominibus perniciossima contagia impune recipiunt, sicut e. c. constat, nonnullos veneno syphilitico nullo modo posse infici. Quo tamen magis contagia secundam hujus legis partem sequuntur, quum fere omnia in illo corporis organo, quo primo sunt excepta, novas quasdam formationes instruant. Itaque in illis solis ea, quam supra citavimus clarissimi *Hartmanni* lex valet, qua statuitur, principio infectionis locum, deinde et similia organa, tum alieniora et denique totum organismum affici. Quod jam profecto magnum statuit discrimen inter haec contagia, atque illa, quae irritabilitatem vel sensibilitatem praesertim afficiunt, quum in illis primo non infectionis locus, sed totum corpus, vel totum corporis systema con-

tra infectionem reagat. et postea demum aliqua eruptio in cute sicut crisis magnum post internum certamen appareat.

2. Qua ex causa quoque prodit, hos esse morbos acutos, illos contra morbos chronicos, quum ceterum etiam constet, systemati irritabilitatis brevem, sed eo acerrimam, systemati reproductionis autem mitiorem et diutiorem insitam esse contra stimulantia reactionem.

3. Alia est lex: organica tantum corpora ad reproductionem esse apta, et eo magis, quo superiore organisationis gradu sint praedita, ex qua sequitur, haec contagia completas organisationes esse debere, itaque omnia illa, quae miasmata, vel secundum *Harless* contagia incompleta nominata sunt, i. e. materias quidem anorganicas, sed nisu organisationis indutas esse exclusas.

4. At non solum superiorem organisationis tenent gradum, sed quaedam veros fieri organismos i. e. animalia infima, quae generatione aequivoca in humano corpore propagentur, multi docuerunt, ut *Adams* id de carcinomate, quod ex Hydatidis quibusdam esse compositum credidit, et ut multi alii jamdiu scabiei causam in infusorio quodam, Acaro exulcerante posuerunt, quod recentissime expertissimus atque doctissimus *Koehler* probavit, demonstrans id animal in quaque scabiei pustula inveniri.

5. Quo modo autem hisce in contagiis infectionis processus fiat, optime exposuisse generosissimus atque clarissimus *Adams* videatur. Dicit enim: quamquam omnia haec venena poris sudoriferis, qui tegumentis communibus insunt, ad inferius sita organa transferuntur, tamen facilius sibi parant viam, ubi epidermis laesa vel tenuior est. Optime enim constat: epidermin in ulcerationem abire non posse, sin igitur ulcera superficiei se propinquant, omnia in exulcerationem transeunt praeter epidermin, quae forma vesiculae prolongatur, et denique per-

rumpitur. Quod eo magis apparet, quo densior sit epidermis, qua de causa si illa ulcera, quibus nomen est *Yaws* sub pedis planta sint sita magnam et ichoris copiam et multas excrescentias fungosas sub planta latere, easque incisione in cutem modo posse reperiri docet hic celeber autor.

6. Idem naturam ulcerum, quae contagio quodam sunt orta, optime exposuit, docens, materiam contagiosam, sicut quodque aliud corpus alienum, processum digestionis vel sanationis ulcerum impedire, nempe illum processum, quo vel margo mortificatus, vel omnes callositates, quae aut in margine aut in fundo exsistant, formatione puris genuini eruantur. Qua de causa etiamsi purificatio sit finita, atque granulatio bona exspectanda, tamen haec non fieri, quia corpus alienum ulceri adhaereat, quod non, sicuti multa alia corpora aliena puogenia expelli possit. Itaque pro bonis atque firmis granulationibus materiam fungosam formari et pro cicatrice, cuticulam tenuem atque fragilem, qua fungi illi tegantur.

7. Saepissime autem veneno contagii pars illa, in quam primum agit, tali modo afficitur, ut subsequens inflammatio non in puogeniam sed in gangraenam abeat (quod etiam post quamque aliam nimis magnam externam vim in corpus agentem observatur). Hac gangraena crusta formatur, quod praecipue in *Yaws* fit, et interdum etiam in ulcere syphilitico, in quo tamen non sicut in aliis contagiosis ulceribus, quibus crustae formatio propria est, illa expulsa ulcus sanatur, sed quia crusta hoc in ulcere non lege sed constitutionis quodam vitio oritur, vel quia crusta eo temporis momento, quo eruatur, superficiem ulceris remanentem iterum eodem contagio afficit, tamen crusta remota morbus procedit.

8. Contagium in ulcere remanens in pus formatum

easdem vires atque qualitates transfert, quibus ipsum primo corpus tam infeste est aggressum et ideo triplici modo impedit sanationem: a) ulcus phagedaenicum formando (ut ab antiquioribus praesertim *Celso* est nominatum) nempe ulcus in quo exulceratio tanta fit celeritate, ut nec cuticula adhaesiva gigni, nec margo, quo ulcus circumdetur, discerni possit, b) si illud venenum tale est, ut functiones vasorum lymphaticorum nullo modo ichores qualitates mutare possint et marginem producit callosum et fundum omni granulatione carentem, quod praesertim in syphilitico sit ulcere, c) sin autem corporis constitutio tale ulcus sanandi impotens est et praeterea incitamento ejus semper denuo afficitur non modo ulcus margine et fundo callosis nobis est exspectandum, sed etiam perstans puogenia (vel potius sanies, quum pus semper denuo pravum fiat) quod in carcinomate accidit.

I. De syphilidis contagio.

Si nunc ad specialem observationem hujus classis morborum contagiosorum transimus, syphilis ex omnibus optime hanc opinionem, fixa densioraque contagia tantum reproductionem aggredi, dum volatiliora atque tenuiora magis irritabilitatem vel sensibilitatem afficiant, probare potest. Constat enim secundum praestantissimum *Schönlein*, hunc morbum primis originis suae temporibus febrilem atque acutum fuisse, itaque tum non solum contactu sed etiam anhelitu atque evaporatione, propagatum esse, quod nunc hercule nunquam fit, quum tanta annorum serie venenum illud magis sit naturae humanae adsuetum et ut ita dicam condensatum humano in corpore, quare dum prius in irritabilitatem egit, nunc in inferioribus reproductionis organis nempe in membranis mucosis atque glandulis principalem atque primariam

habet sedem, in quibus secuudum *Schönlein* duplici modo apparet; nempe a) blennorrhoeae vel ut falso at usitato nomine est dicta Gonorrhoeae sub forma, quam ille auctor non, ut multi alii recentiores, nihil aliud nisi urethrae catarrhum esse credit, sed potius specificam syphiliticam formam, quod ex sequelis probatum esse docet, quum affectione primaria gonorrhoica non solum syphilitica dyscrasia secundaria, sed praeterea etiam specifica gonorrhoica dyscrasia generalis non raro gignantur, b) sub forma ulceris syphilitici primarii, cujus phaenomena characteristica satis sunt nota. Secundariam autem sedem tenet in ossibus (vel secundum illustr. *Neumann* in membranis fibrosis) in quibus tophos, nodosque et gummata format, et in cute ibi morbos cutaneos chronicos, qui omnes quamquam secundum Clar. *Batemann* et papulas et pustulas et vesiculas et tubera esse possunt, tamen semper fusco illo rubore, qui cupreus est appellatus, singulari phaenomeno sunt praediti. — Hic morbus, qui jam origine sua divisionem nostram morborum contagiosorum probavit, id magis quoque cura praebet. Quanta enim distantia inter Syphilidem et morbos acutos exanthematicos, vel nervoso-exanthematicos curandos! Dum in variolis, vel morbillis vel rubeolis totum Therapiae opus est, moderandi tantum atque regendi irritabilitatis contra infectionis stimulum reagentis actiones, quum irritabilitas jam ipsa tanta vi sit praedita, ut perniciosam aggressionem repulset in curanda syphilide profecto multis atque heroicis medicamentis est opus. Dum enim irritabilitas summa vi minantem hostem arceat, reproductio ad perniciem totius organismi cum illo se conjungit. Et quum potentias nocentes assimilare i. e. suo ordine suaque lege non mutare non possit ipsa, sicut victus a victore coactus est, ut leges ordinesque ac-

cipiat, itaque perniciosis productis exorbitet. Quid igitur facit therapia contra illum hujus contagii effectum? Nihil aliud, profecto, nisi supprimit atque corrigit illas pravas reproductionis actiones, dum enim toti reproductioni materias alentes multis variisque modis sumit, etiam morbum ipsum interficit, ejus fundum, quo acerrime inhaeret ad illum reproducendum impotentem reddens. Quod optime atque luculentissime maxime venerandus *Rust* exposuit, decocta lignorum et curam fame detrahentem cum Mercurii effectu comparans, quibus generaliter idem fit, nempe debilitatio reproductionis atque cum illa morbi ipsius. Num hoc autem Mercurio fiat, qui secundum *Vogt* stimulo quodam proprio lymphaticorum vasorum urgens systema, per omnes vias corporis excretorias, nunc quasi apertas trahit secretiones, quod optime inservit corpori derivationi atque extenuationi, an vero decoctis lignorum, quibus cutis actio aucta derivationem atque debilitationem efficit, aut fame, qua debilitatio directe efficitur, generaliter idem est, et tantum secundum singulorum casuum diversitatem variare potest.

Quare optime demonstratur, quod *Adams* de Mercurii in ulcera effectu dicit, nempe illum ulcera reddere phagedaenica, quum majorem necessaria exulcerationem producat, itaque cum melius ulcera illa, quae calloso margine et fundo sunt praedita, quam alia sanare. Sin autem secundum eundem venenum contagiosum tale est, ut organismi opportunitas illius excipiendi atque propagandi major sit vi Hydrargyri, illud non solum nihil prodest, sed etiam multum nocere potest, quum ad contagii vim debitandam non valeat, attamen illi veneno proprio suo effectu ulcus phagedaenicum reddendi majus spatium, quo excipiatur appareat, itaque morbi pro-

gressum efficit, unde etiam illud principium prodit, quod recentioribus temporibus tam saepe est probatum: Mercurio non praeservativam contra Syphilidem vim inesse, sed illum tantum morbum jam excultum sanare posse et quidem si hujus morbi vis non major sit ipsius.

II. De Yaws, Pians s. Framboesia.

Hoc modo etiam id quod *Batemann* de Yaws et Pians dicit optime elucet, nempe illum morbum Mercurio nullo modo sanari, sed potius, illo adhibito, morbum ab exterioribus partibus ad interiores, praecipue ad ossa, verti, et non raro lethalem afferre finem, quum, ut supra est dictum, ille morbus secundum *Adams* majore vi aggrediatur corpus, quam Syphilidis formae primariae, ita ut, quod in ulcere syphilitico raro fit, crusta formetur. Hic morbus, quem *Adams* cum alio quodam in Scotia endemico comparat, cui *Sivvens* est nomen, iterum probat, epidermin in ulcerationem abire non posse, quamquam enim prima infectio cute fit, tamen epidermis non exulcerat, sed contra tollitur, et quidem secundum *Batemann* non sicut ulcus syphiliticum sub forma vesiculae, sed potius parvi tuberculi, quod denique perrumpitur, quo facto crustae illae apparent, quarum jam supra mentio est facta et sub quibus excrescentiae quaedam fungosae mori vel rubi fructibus simillimae formantur, quae quoque huic morbo nomen Framboesiae (sicut apud Francogallos, les framboises) imposuerunt. Hi fungi autem in ulcerationem abire possunt et illa iterum crusta tegi; quae ulceratio igitur est secundaria, et quum ea mox crustae nigrae formentur, mox eruantur, *Adams* hunc morbi statum idem esse dicit, quod Celsus nigritiem serpentem appellat. In ea secundaria exulceratione etiam discrimen inter Yaws et Sivvens ponit, quum in

Sivvens fungos post exulcerationem, in Yaws ante exulcerationem fungos oriri docuerit. —

III. De carcinomate.

Venio ad tertiam hujus classis speciem, nempe scirrhum atque ejus alterum stadium, carcinoma, cujus tamen naturam omnino explicare profecto non ausim, quum etiam *Schoenlein*, temporis lumen, esse sphingem medicinae dixerit. Ut igitur *Scarpae* atque *Wilhelmi* opiniones transeam, quae in nervis primam carcinomatis sedem divinant multorumque aliorum recentium scriptorum, qui eadem de causa prosopalgiam ad carcinomatodeas computant affectiones, vertamus ad supra jam opinata. Optime iterum congruat nostrae opinioni ille jam pluries citatus *Adams*, qui carcinoma originem ducere suam ab Hydatidum quarundam organisatione putat, et innisus *Celsi* auctoritati, qui ab hepatis vel lienis quodam morbo oriri carcinoma dixit, cum autem in organis iisdem, ut quoque *Goch* atque *Monro* et *Laennec* observarunt, saepissime Hydatidum catervae occurramus, facillime originem ex iis esse carcinomatis ducendam docet. Illas autem hydatides, quas beatus *Rudolphi* nominavit Echinococcos, constat esse infimae generationis animalia, illum, in quo sunt conclusa, saccum incremento semper expandentia, vicinisque eo modo cruciatus parantia partibus, qui tum demum paululum remittunt, quum saccus cousque sit extensum, ut majoris non capax expansionis gradus, discindatur materiesque contenta in abdominis sit irruta cavum, in qua illae nunc natent hydatides. Deinde autem vim medicatricem granulationem a marginibus incipientem, instituere statuit auctor noster, quare tamen, quum veneni aliqua pars adhuc adhaereat, bona atque regularis fieri non possit, sed potius in materiem

fungosam abeat, qualis similis materia jam antea quum carcinoma sub cute esset occultum inter hydatidum saccos atque cutim sit formata. Ad hanc suam opinionem affirmandam *Adams* tria narrat exempla, ubi hydatides ex carcinomatodi ulcere abiisse constitit, nempe unum a *Tisone* descriptum, in quo magna copia hydatidum in sacco, qui inde ab occipite usque ad scapulam erat extensus, est inventa, alterum *Watsonii*, qui magnum hydatidum fasciculum ex utero abire vidit, et tertium a *Fayetio* narratum (mémoires de l'Academie royale de Chirurgie), qui magnam copiam hydatidum in mammae carcinomate invenit. Quamquam *Adamsi* opinio a pluribus auctoribus, et etiam a *Schoenlein* non sit admissa, tamen et hic auctor vitam propriam illi Pseudoorganismo inesse, qui carcinoma dicitur statuit, docens, carcinoma esse constructum 1) ex zoogenio vel tela formativa quam summam cum infimis animalibus similitudinem (ut c. medusis) habere non negat, 2) ex vasis, quae illi telae insunt, et quae a ceteris organismi omnino sejuncta vel inde a peripheria ad centrum vel a centro ad peripheriam currunt. Qua de re jam organisatio Pseudoorganismi apparet, quum vasa propria pro proprio certant organismo, itaque hic fere idem fit, quod in foetu, in quo etiam vasa ejus nullo modo cum illis materni corporis cohaerent. Quae comparatio eo aptior fit, quia, ut ipse dixit *Schoenlein*, et forma et cursus vasorum simillimi sunt vasis foetus, nam tenuiora atque non tam serpentes, quam vasa organismi exculti, et sanguis ipse, qui his inest vasis, tenuis neque tali copia cruoris globulorum conferta est, quam in majoribus. Secundum hanc definitionem *Schoenlein* etiam divisionem stadiorum hujus morbi instituit: nempe 1) stad. scirrhi, in quo Zoogenium tantum adest, quod duabus consistit ex materiis,

nempe a) ex dura quadam atque cellulas formante, b) ex gelatinosa, in qua plura discernuntur puncticula, quae secundum *Adams* hydatides sunt. 2) Stad. formationis vasorum, quod non semper una cum carcinomate aperto apparet, itaque secundum *Schoenlein* non aëre tantum (quod nonnulli credidere scriptores) formantur vasa, quamquam in nonnullis carcinomatis speciebus aër vasorum organisationi faveat. —

Quae autem harum opinionum vel *Adamsi* vel *Schoenleini* vera sit, hic non examinemus, hoc certe ex ambabus apparet, illi pseudoorganismo vitam propriam inesse, qua re etiam sequitur, summa vi organica ab illo affici, quum reproductio eo magis variari atque alterari soleat, quo majori organisationis gradu contagium infestum sit praeditum, itaque non mirum videatur, quod talia remedia, quae minus organisata contagia vincunt, sicut Mercurius Syphilidem, in illo nihil efficere possunt, quum ut supra jam est dictum vis potentiae nocentis major sit quam remedium. Qua re toto ex materiae medicae thesauro solum Arsenicum tanto hosti opponi videatur, quum hoc in remedio praeter summam reproductionis exorbitationes impedientem vim secundum *Vogt* tonici aliquid insit, quo dum pseudoorganismum perniciosum interficit simul corpus illo jam debilitatum roborat.

IV. De scabie.

Priusquam hanc contagiorum partem relinquamus, aliqua de scabie nobis sunt dicenda. Constat jam a multis auctoribus esse dictum, hujus morbi causam animalculum aliquod, nempe Acarum exulcerantem, esse, a multis tamen aliis haec opinio omnino est rejecta, dum nonnulli hoc animal nonnunquam quidem in scabiei pustulis vel papulis vel vesiculis rrperiri, tamen non necesse

esse ut adsit, statuerunt. Nuper autem vir expertissimus Dr. *Koehler* probavit, hoc animalculum semper in scabie adesse, itaque hunc morbum ejus transmissione ad alios homines transire; et sanari posse si omnia talia animalia, quae in scabiei pustulis exsistunt, interficiantur; qua re mechanicum aliquod medicamen, quo mors eorum efficiatur, ut exempli gratia sabulum, quo cutis fricatur, jam sufficere, ut morbus evanescat. Quamquam hanc opinionem, quum optime pro mea certet, libentissime acciperem, nempe quo magis morbi contagiosi sint chronici atque solam reproductionem afficiunt, eo magis contagia, quibus sint producti, esse organisata, tamen curam illam non defendam, quum illa idem fieri posse putem, quod gonorrhoea adstringentibus curata tam saepe accidit, nempe affectionem aliorum organorum, quae majore dignitate sunt praedita quam cutis. Sin enim credimus, acarum esse primariam causam scabiei, sicut contagium syphiliticum gonorrhoeae, tamen, prima hac locali affectione repente sublata, sequi possint morbi, qui jamdudum nomine scabiei repressae sunt noti et quae nihil aliud sunt, nisi affectiones organi alicujus majoris dignitatis post nimis celerem scabiei curam. Qua re sulphur non solum propter specificam suam vim contra scabiem, sed quia praeterea fere omnes aperit vias secretorias et praecipue in cutem agit, semper erit optimum hujus morbi remedium.

III. CAPUT. DE CONTAGIIS, QUAE PRAESERTIM AGUNT IN VASORUM SANGUIFERORUM SYSTEMA.

Contagia, de quibus nunc nobis est disserendum, morbos illos provocant, qui ab auctoribus recentioribus,

sicuti *Willan* et *Batemann*, exanthemata acuta nominari solent, quum ita in infectum agant corpus, ut primo producant febrem aliquam specificam, quam deinde cutis affectio sequatur. Generosissimus *Schoenlein* autem illos ad Erysipelaceas computat, quarum principium in electricitate, organico in corpore mutata ponit, statuens in illis magnam gigni electricitatis copiam. De quo hercule dubitare nullo modo ausimus, quum caeterum constet multis aliis etiam in morbis corporis humani electricitatem mutari (exempli causa in rheumatismo diminui). Num autem nimia in electricitate causa atque natura horum morborum sit ponenda, alia profecto est quaestio, et certe si cum clarissimo *Proschaska* multisque aliis celeberrimis physiologis credimus, vitam ipsam nihil aliud esse, nisi processus quidam electricus, et in eo nobis esset concedendum. Quum vero jam supra secundum ingeniosissimum *J. Mueller* vim propriam vitalem omnium vitae actionum rectricem vindicaverimus, et quidem illius trinitatis sub forma, quae a reproductione, irritabilitate atque sensibilitate componitur, iterum ad aliquam earum nobis erit recurrendum, quae illis contagiis praesertim sit affecta, et quum praecipua eorum vis in irritabilitatem versa esse nobis videatur, non haereamus iis provinciam hanc dare.

Inter omnes auctores, quos hac de re legimus, solus Cel. *Bangius* similem posuit opinionem, contendit enim duplicem rebus corporeis vim assimulatricem inesse; quarum altera procreare compositis, e quibus emanaverit, rerum procreatarum naturam et indolem parem reddere perfectionemque specialem evulgare solet, altera vero compositorum elementa solvit et naturae conservanti repugnat. Itaque haec contagia fermentationi affinia esse affirmat, cum fermentum instar contagii, mutationem

qua generatur communicet, illud corpora vita motuque destituta destruat, hoc vincentibus detrimentum afferat, cum denique fermentum permistionem principiorum compositi commutet, et eundem de contagio in excitandis morbis effectum subodorari liceat. Hoc modo ille auctor discrimen inter contagia secundum eorum actionem vel in reproductionem vel in irritabilitatem quidem denuntiat, quum tamen processum, quem provocant cum fermentatione comparet, ei omnino adhaerere non possum, nullam actionem, quae in corpore vivo fiat alicui processui chemico comparandam esse putans.

Si nunc autem ad contagia ipsa, de quibus loquimur, spectamus, nobis erat asserendum:

1. Illa non semper materiae alicui fixiori adhaerere, ut contagia primae classis, sed plerumque esse volatiliora atque aërea, quare secundum multos scriptores inter miasmata sunt numeranda, id est inter illa contagia, quae non solum contactu, sed etiam anhelitu et exhalatione propagantur, vel ut statuit *Harless* inter contagia incompleta, vel illa, quae modo chemica e dualitate orta, atque nisu propriae organisationis induta aliis corporibus organicis, ut adhaereant, sunt coacta.

2. Ex quo sequitur, haec contagia multo facilius benignis ex epidemiis gigni posse, quam fixiora, quum propter inferiorem eorum organisationis gradum propius accedant illis materiis nocentibus, duobus principiis chemice compositis, quae secundum *Harleſs*, in aëre versantes, genium epidemicum formant. Quod etiam *Schoenlein* admittit, asserens febrem scarlatinam, quae est hujus classis morbus, anno MDCCCXVIII ex epidemia erysipelacea ortam esse.

3. Sin igitur nonnulla eorum, sicut variolarum atque vaccinarum contagia densiori materiae sunt involuta,

itaque contactu propagantur, tamen organis reproductionis, quae hac propagatione prima ut aggrediantur, sunt coacta tantum ut viis transitoriis utuntur, dum eorum vera provincia semper remanet irritabilitas. Illud autem pathicum productum, quod principium est materiae contagiosae secundum *Schoenlein* est alcali quoddam, attamen non est Natron (quod etiam in sero sanguinis invenitur), ut nonnulli docuerunt, sed potius aliud quoddam alcali specificum, Alcaloidis narcoticis regni plantaris simile, quod secundum morbi gradum et augeri et diminui potest.

4. Haec contagia praecipue in irritabilitatem agere, ex morborum, quos producunt, ipsis phaenomenis optime apparet. Quinam est eorum primus atque principalis effectus, postquam aggressa sunt corpus organicum? Febris aliqua specifica! — Quid autem aliud est febris, quam processus cordi atque vasis sanguiferis insitae facultatis, qua contra stimulos reagere solent? Dum enim, ut supra jam est dictum, reproductio omnia incitamenta assimilare corporisque organici partibus similia reddere, itaque, si fieri potest, vim excitantem iis demere studet, contra irritabilitas stimulis quibusdam adhibitis vehementissime reagit, illumque processum provocat, quo tales stimuli e corpore ejiciantur.

5. Qua re apparet, exanthemata ipsa, id est cutis varias affectiones non esse principalem morbum, sed febrim, quae iis anteeat; haec autem exanthemata potius crises quasdam esse habendas, itaque iis excultis aegrotus magnum sentire levamen. Id probatur etiam melius ex eo, quod non solum cutis sed aliorum quoque organorum specificae affectiones morbique post talem appareant febrim, sicut exempli causa angina in febri scarlatina, pulmonum affectiones catarrhales in morbillis,

quos morbos et affectiones igitur non sicut *Hartmann* primos esse effectus contagiis, eaque organa, quae iis laborant, primarium esse infectionis locum credam, sed libentius *Schoenlein* adhaeream, has affectiones nihil aliud esse nisi tales reflexus putans, quales saepius etiam aliis in morbis appareant, exempli causa qualis angina saepe modo reflexus est morbi alicujus gastrici.

6. Singulare quoddam phaenomenon his in contagiis id esse videtur: Semel tantum in eodem corpore eundem provocant morbum, dum illis contagiis, de quibus supra est actum, idem corpus pluries infici potest.

Quod tamen iterum ex diversitate irritabilitatis atque reproductionis prodit. In irritabilitatem enim contagia (ut jam est dictum) tantum ut incitamenta specifica agunt, dum in reproductionem ut semina quaedam organica ad formandum aliquem novum organismum. Sat autem constat, organica corpora non semper eadem vi contra eadem reagere incitamenta, sed potius post certam reactionem desinere incitamenta esse et ad indifferentiam verti. Vires autem genitrices in reproductionis systemate semper novam inveniunt materiam, cui leges suas imponunt. Recentioribus tamen temporibus saepissime hoc negatum est, quum praesertim variolae post certam annorum seriem iterum in eodem homine apparere posse sint visae, quare hoc tantum temporis spatio (nempe quindecim annis) vaccinatio contra violarum contagium tueri sit dicta.

Quod tamen plurimi recentiores scriptores refutarunt, et inter eos *Schoenlein*, qui illum morbum, post vaccinationem quindecim annis interlapsis apparentem non variolas veras, sed variolides esse probavit.

7. Hoc nos ad aliud ducit phaenomenon, nempe uno horum morborum, qui tali contagio oriri solent, prae-

sente alius, illi primario similis, eundem hominem aggredi non solet, itaque vaccinatione variolarum contagium, quominus homines inficiat impeditur, eaque de causa omnia exanthemata acuta sejuncta apparere videmus, dum multi morbi cutanei chronici saepe eodem in corpore conjuncti reperiuntur. Quamquam autem etiam exanthemata acuta eodem tempore in eodem homine interdum sunt visa, sicut morbilli aliquando conjuncti cum variolis, hoc raro tantum fit et inter morbos, qui non tam similes sunt, quam variolae vaccinis.

Quod ad specialem descriptionem morborum hujus classis attinet, nempe scarlatinam, morbillos, rubeolas, et variolas, ab antiquis et recentioribus scriptoribus tantum et tam bene de iis est scriptum, ut calamum nostrum aliquid adjicere non deceat.

IV. CAPUT. DE CONTAGIIS IN NERVORUM SYSTEMA AGENTIBUS.

Nunc ad illam contagiorum vel miasmatum classem nos vertamus, de qua anctores diversi vehementissime certant, quod iterum probatur, eo minus humanam mentem naturae leges perspicere posse, quo magis de ultimis atque praecipuis rerum causis agatur, vis enim nervea profecto illa vitae essentialis potentiae est forma, quae quum sit suprema, atque vero totam organici corporis vitam dirigens, etiam plus quam duae alterae cognitioni est repulsa nostrae, qua re factum est, ut nonnulli eam electricitatis quandam speciem, alii magnetismi censuerint. Quo tamen non definitionem sed comparationem tantum instituerunt, quae vero non omnino abludit, quum sane

electricitas et magnetismus idem valeat corporibus anorganicis, quod vis nervea organicis.

1. Quod autem ad contagia vel miasmata ipsa attinet, quae praecipue in nervos agere putamus, ea etiam volatiliora illis esse debere, quae altera duo systemata aggrediuntur, itaque eorum formatio etiam magis a cosmicis atque telluricis momentis, quibus atmosphaerae status variatur, dependere appareat.

2. Idem vero erit admonendum, quod in illis secundae classis, nempe quamquam sunt volatilia, et solo anhelitu vel aëre in quo natant, propagantur, tamen etiam materia alicui fixiori ea inhaerere atque contactu transferri posse.

3. In hoc igitur eandem sequuntur legem, quam in vasa sanguifera agentia, effectu autem valde ab his discrepant. Sin enim omittamus ea multo perniciosiores atque sanatu difficiliores morbos producere quam illa, quod jam ex majore nervorum systematis dignitate elucet, tamen hoc fere semper in iis observandum est, specifici morbi praecipua symptomata non primo stadio sed semper posteriori aliquo apparere, dum primum stadium reproductionis atque vasorum sanguiferorum perversis actionibus tantum impletur, ex quo appareat, haec contagia tam vasorum intercessione ad nervos pervenire posse. Quod tamen ita se habere non credam, quum re vera interdum primaria nervorum affectio nimis perspicue observetur, nempe illis in perniciosissimis casibus, quibus sicut aliquando in peste atque in cholera acutissima mors uno momento, sicut cerebri commotione miseros percellit mortales. Itaque id quod *Vogt* de narcoticis statuit, nempe, ea primo quoque momento in nervos agere, etiam de his contagiis credam, quare prodromi morborum his productorum, *nervosi* esse solent, postea

autem, morbi initio alteris e systematibus phaenomena apparere, eo prodire credam, quod nervi, qui vel reproductionis vel irritabilitatis functionibus praesunt, praesertim sint affecti.

4. Nullis aliis in morbis psychicae affectiones et praesertim tales, quae generatim deprimentes nominantur, tantum exerceant vim et ad majorem dispositionem infectionis et ad pejorem morbi decursum, quam in his, tali contagio provocatis, quod profecto intellectu non est difficile, quum systema nervosum sit vere psychicum organon, quod primo et praecipue Psyches actionibus movetur. Non minus apparet, in propatulo esse, deprimentes affectiones, ut metum, desperationem, moestitiam, talem exercere perniciosam vim, quum (quod jam nomine indicatur) hae affectiones et totum nervorum systema debilitent, et ad morbos magis dispositum reddant et praesertim systema sympathici magni vel gangliorum, quod plurimum ab his morbis corripitur.

5. Attamen nonnulla horum contagiorum etiam in systema cerebrale agunt, qua re dividenda erunt secundum eorum actionem in duas illius systematis principales partes, quae, quamquam eodem ex organo centrali (cerebro) primam ducentes originem, tamen in organico corpore tam variis praesunt functionibus, et tam vario modo in organa sibi subjecta agunt, ut non raro a scriptoribus antagonistae sunt nominatae.

a) illa igitur contagia quae in gangliorum systema agunt, producunt perversas vel paene sublatas eorum organorum actiones, quae voluntati non sunt subjecta et quae duas inferiores corporis humani magnas cavitates, nempe pectoris atque abdominis implent. Itaque turbata sanguinis circulatio praecipue in pulmonibus et corde, laesae et hepatis et lienis functiones una cum affectio-

nibus spasticis vel paralyticis tractus intestinorum et systematis uropoëtici.

b) haec autem contagia, quae praesertim cerebrum et nervos cerebrospinales afficiunt, organorum laedunt functiones, quae sunt subjecta voluntati et prae omnibus cerebri ipsius, ita ut non raro et psychicas efficiunt affectiones, qua re non solum vehementes musculorum spasmos tam tonicos quam clonicos provocant, sed etiam susurrum aurium, vertiginem, deliria et muscitantia et ferocia, stuporem ac soporem, immo fatuitatem atque maniam.

6. Etiam in his morbis contagiosis sicut in illis secundae classis non raro apparent exanthemata et non quidem sola in cute, sed sicut probavit *Schoenlein*, etiam in membranis mucosis, quae vero exanthemata tamen hercule ab illis valde discrepant, de quibus supra mentionem fecimus. Nunquam enim sunt critica, sicut illa, sed semper symptomatica; immo, non modo nunquam salubre, sed potius semper periculosissimum sunt signum, quum vel sicut petechiae in typho sanguinis dissolutionem, vel sicut pustulae in febri pestilentiali reproductionis generalem affectionem nuntient. Sicut vero fere in omnibus nervorum morbis verae crises raro fiunt, sed potius lyses, ita etiam in his contagio provocatis, ita ut alia systemata non digna videantur, quibus nervorum morbi discernantur. Quod tamen non raro pro crisi vera invenitur, est somnus profundus atque restaurans, quem hac de causa crisin psychicam vocat *Schoenlein.*

7. Attamen confitendum est non raro post hos morbos sicut post morbos duarum classium primarum affectiones quasdam praecipue inflammatorias in inferioribus organis praesertim in glandulis apparere, sicut exempli causa Parotitis post typhum, quin etiam in aliquo posteriore morbi

ipsius stadio inflammationes quaedam non raro oriuntur, quod e. c. stadium inflammatorium in cholera probat, et si *Schoenleinii* et multorum aliorum tam egregiorum medicorum opinioni, affectiones membranae pituitariae tractus intestinorum in typho exanthema quoddam esse, non adhaeream et Francogallos eas glandularum Peyerianarum inflammationes esse statuentes sequar, tamen non cum illis his in inflammationibus causam typhi sed potius effectum ponam.

8. Et hi quoque morbi habent antagonistas et correspondentes morbos. Sicut enim omnia, quae systema nervosum debilitant, majorem ad hos morbos dispositionem creant, ita etiam morbi, qui id efficiunt. Contra autem non raro observatum est, hos morbos illis primae classis excludi, sicut a scabie typhum, sed etiam aliis morbis, qui non sunt contagiosi, sicut scrophulis, et febribus intermittentibus, quae non raro choleram excludere et ab illa excludi dicuntur. Si nunc ad divisionem eorum procedamus, primum nobis formant ordinem illa contagia, quae et systema gangliorum et systema cerebrale afficere possunt, secundum, quae solum systema sympathici.

I. Prima classis typhum, pestem atque febrem biliosam continet, quos tres morbos *Schoenlein* nomine typhi comprehendit, illos in typhum europaeum, orientalem s. cum bubonibus, et americanum s. cum hepatis morbis dividens.

A. Typhus.

Hoc in morbo multam medici nostri aevi operam consumserunt, praesertim postquam *Broussais* docuit, ejus causam esse inflammationem aliquam superficialem atque specialem intestinorum et praecipue glandularum Pey-

crianarum; quum hic autor annotavisset, symptomata gastrica, ut magnam indigestionem, linguam obtectam, dolorem prementem capitis sine turbatione functionum cerebri praecedere. Postea quidem ipse non negavit, hoc non semper sed tantum illa in typhi specie fieri, quam typhum appellat abdominalem. Et quum sectiones ruborem atque impletionem sanguinis in intestinis, saepeque ulcera glandularum Peyerianarum monstrassent, ejus opinio, primariam affectionem hoc in morbo atque veram causam esse specialem Gastroenteritidem videbatur esse probata. Quam theoriam plurimi medici Francogallici sunt secuti, attamen Germanici non tanta facilitate amplexi sunt, immo a majori eorum parte rejicitur haec sententia, inter quos etiam *Schoenlein*, qui illam intestinorum affectionem non esse inflammationem sed potius exanthema quoddam, quod in pustulas transeat, putat. Inter quas opiniones mediam tenet justam ingeniosissimus *Joannes Mueller*, qui quamquam non negat, pustulas illas, in qua mutatas inveniamus glandulas Peyerianas, inflammatione quadam oriri posse, tamen hanc inflammationem non esse causam typhi sed potius et typhum et hanc inflammationem eadem ex causa gigni statuit. Quae autem est ea causa? Cum ingeniosissimo *Schoenlein* huic respondere non haereamus, plerumque esse constitutionem quandam atmosphaerae et praecipue chemicam ejus commixtionem variatam, ita ut a) vel partes elementarias normales sint mutatae, vel b) novae delectiones iis adjunctae, itaque idem processus in aëre sit factus, quem *Harless* generationem contagiorum incompletam appellat. Ad primam hujus opinionis partem sustinendam *Schoenlein* citat generos. *ab Humboldt*, qui docuit, Oxygenii quantitatem in atmosphaera interdum posse variari, quod e. c. fiat in littoribus Americae, ubi ad magna ejus flumina, ex-

halatione et imbibitione quarundam arborum oxygenii quantitas diminui, itaque typhus et praesertim typhus icterodes facilius oriri possit. Quod ad secundam partem, prae omnibus esse Hydrogenium carbonatum, cujus effectus simillimus narcoticorum effectui, quod typhos non raro provocet. Hae potentiae nocentes organa systematis nervosi centralia afficiunt et quidem cerebrum in typho cerebrali (cujus naturam quoque Francogallorum medici plurimi et in Germania *Marcus*, *Horn* et *Hecker* in inflammatione quadam specifica cerebri et ejus membranarum posuerunt) ganglia in typho abdominali. Sin praeterea eadem ex causa secundum *Mueller* vel alia quaedam inflammatio intestinorum vel aliorum organorum efficitur, profecto apparet illam eo in statu esse debere, quem etiam *Broussais* et alii descripserunt, nempe minorem ruborem praebere, atque totam affectionem magis esse superficialem, qua re hanc quasi asthenicam discreverunt. Jam dudum autem constat, discrimine illo stheniae vel astheniae nihil dici, quum secundum *J. Mueller* nullus morbus sthenicus esse posset, i. e. vires re vera augens, sed si organon, in quo inflammatio est orta, nullo antea modo erat laesum, id quod dicitur sthenica, sin autem hujus organi functiones erant turbatae et praesertim si ejus nervi erant affecti, asthenica apparet.

Praeter hanc specificam tractus intestinorum affectionem secundum *Schoenlein* hae aliae, vi nervea mutata, oriuntur: 1) Motus sanguinis in arteriis frequentior fit, 2) sanguis specifice mutatur et quidem albumen et fibrina diminuuntur et in secretionibus atque excretionibus inveniuntur, qua re sedes albuminosae in typho abdominali. Ex quo sequitur a) sanguinem facilius concrescere, b) coagulum cruoris esse molle atque parvum, dum seri magnam atque aquosam copiam inveniri, immo ultimo

hujus morbi stadio gas proprium in sanguine gigni videatur, cum sanguis missus ex majoribus vasis in bullis appareat. 3) Pigmenta propria apparent, ita ut non solum secretiones, ut mucus nasi, qui fulvus et fuliginosus fit, et sedes, sed etiam color faciei mutatus appareat. 4) Electricitas animalis est mutata, unde calor mordax est explicandus. Pro hac opinione etiam sectiones certant, quum secundum *Schoenlein* et nervi et praecipue organa eorum centralia mutata inveniantur, sicut a) cerebri consistentia in typho cerebrali, gangliorum in abdominali et quidem in cerebro praecipue systema commissurarum (corpus callosum, septum pellucidum, commissura anterior et posterior) molliori quam solita atque vere pultacea apparent consistentia, dum ganglia si laborant non emollita sed indurata et quasi cartilaginosa fiunt. b) Membranae, quae haec organa systematis nervosi centralia circumdant, sanguine sunt impletae atque rubore ex rufo caeruleo tinctae, quod phaenomenon plures scriptores typhum cerebralem esse encephalitidem quandam specificam, qua sensibilitas magis laboret, statuere adduxit. At et ex illo ad caeruleum vergente colore et ex omnibus morbi phaenomenis, summam debilitatem probantibus, satis elucet, ut jam demonstravit ill. *Friedreich*, hic non inflammationem vel congestionem activam sed potius congestionem venosam, passivam adesse. c) Sanguis aquosior, musculique non laete rubescentes, sed e flavo fusci, molles et tenues. Membranae vasorum internae et praesertim illorum prope cor sitorum rubescunt, sed hic rubor e fusco caeruleus tantum intimam tingit membranam et a centro ad peripheriam vasorum vagatur neque cum rigiditate harum membranarum neque cum dilatatione luminis vasorum est conjunctus, sicut in phlebitide vel arteritide, quare theoria multorum auctorum,

typhi naturam talem esse inflammationem vasorum, non esset probanda. Contra omnibus et ex morbi ipsius et ex sectionis phaenomenis elucet (ut jam supra statuimus) typhi naturam esse organorum systematis nervorum centralium specificam affectionem.

B. Typhus icterodes et pestis.

Typhus icterodes et pestis secundum plurimos excellentissimos, qui de his morbis scripserunt, auctores sicut *Harless, Gonzalez, Arejula, Schoenlein,* ad typhorum genus sunt numeranda et quidem typhus icterodes secundum *Harless* typhi species est, in quo praesertim ventriculus et organa bilifera sunt affecta, quae tamen quamquam principalia offerunt symptomata, nihilominus nobis explicant naturam hujus morbi, quam *Harless* in affectione, et quidem, ut ipse dixit, in eminente debilitatione systematis muscularis atque vasorum sanguiferornm ponit, qua re hunc appellat typhum muscularem. Habemus igitur in hoc morbo transitum quendam classis secundae nostrae ad hanc, quam nunc tractamus, attamen semper memorandum est, non esse systema musculare atque vasorum sanguiferorum ipsum, quod praesertim sit affectum, sed potius hujus systematis nervos, quod probant phaenomena typhica, quae sane indoles principales hujus febris efficiunt. Quamquam autem systema musculare praeter nervosum praecipue est affectum, tamen etiam systema vasorum lymphaticorum omni ab affectione non plane est librum, quum (ut supra jam diximus et ut hoc loco etiam asserit magnus *Harless,*) omnia systemata semper afficerentur, si unum tantum morbo sit correptum, itaque non raro praeter phaenomena characteristica hujus typhi muscularis etiam alia inferioris illius systematis, quae caeterum magis pesti ut symptomata

characteristica sunt propria, etiam in typho icterode apparent, sicut Petechiae et Bubones. Symptomata autem characteristica hujus febris secundum *Harless* haec sunt: a) vomituritio et vomitus ab initio morbi usque ad finem durans, b) et quidem vomitus materiae alicujus nigrae, cui bilis atque mucus sunt immixta, qui tamen ab haematemesi bene est discernendus; c) sedes similem materiam continentes et paullulum serius apparentes; d) vehementissimus dolor in scrobiculo cordis, qui tactu augetur et saepius cum tumore praecordiorum est conjunctus; e) color flavus oculi, faciei et pedetentim nisi totius corporis, tamen certe trunci, quem rubor inflammationis oculi praeit; f) virium prostratio ab initio apparens; g) repentina aggressio et celerrimus morbi decursus, quibus Typhus acutissimus est habendus. — Quamquam *Arejula*, qui typhum icterodem A. MDCCCI. Malacae regnantem optime descripsit, omnia haec symptomata non negat, tamen illa non esse solita in illa epidemia, sed irregularia, dum febris illa regularis mitiora praebuerat et typo intermittente tertiano vel quotidiano apparuerat. Ingeniosissimus *Harless* intermittentem illam febrem nullo modo esse typhum contagiosum dixit, sed mitiorem Indiae occidentalis endemicam atque primariam formam, ex qua postremis praeteriti saeculi annis illa contagiosa sit orta.

Sicut febris flava est typhus muscularis secundum *Harless*, ita pestis orientalis secundum eundem ea est typhi forma, in qua praeter nervos praesertim vasorum lymphaticornm et reproductionis systema sit affectum, qua re praeter omnia haec symptomata, quae sicut in typho icterode, etiam in peste apparent, characteristica phaenomena Bubones et Petechiae pestilentiales vibices

formantes raro absunt. Ceterum haec posuit inter pestem et typhum icterodem discrimina: a) in typho icterode color flavus est symptoma perpetuum, in peste vel omnino abest, vel rarissima apparet, et quidem nihil praeter oculum praebet illum colorem; b) in typho icterode emesis est symptoma characteristicum usque ad morbi finem perstans, in peste saepe deest et rarissime usque ad finem durat; c) in typho icterode vomitus materiae illius nigrae, specificae est consistentiae atque qualitatis, in peste humor nigerrimus aliquando quidem evomitur, sed ille non est idem atque in typho icterode, sed potius biliosus atque mucosus; d) Bubones atque vibices contra sunt symptomata characteristica pestis et in febri flava rarissime apparent; e) in typho icterode haemorrhagiae asthenicae ex solitis atque insolitis viis saepius quam in peste videntur; f) etiam dolor in scrobiculo cordis magis in typho icterode cruciat; g) contagium typhi icterodis aëre magis et majore spatio propagari potest, quam contagium pestis; h) typhusicterodes illis regionibus, ubi est endemicum, semper media aestate incipit et usque ad autumni vel hiemis principium permanet, pestis contra in Aegypto et Asia minori vere vel hieme jam apparet; i) typhus icterodes magis indigenis parcit, advenis autem alienis est periculosissimus, quod discrimen de peste non statuitur; k) Typhus icterodes minus mulieres quam viros corripit, dum pestis omnes aequali aggreditur furore.

II. Classis. Cholera.

De nullo morbo profecto plus tam brevi tempore est scriptum, quam de Cholera indica, et quamquam a variis auctoribus diversissimae de illa opiniones et theo-

riae sunt positae, tamen adhuc morbi natura non plane est nota, quod jam solum pro opinione illam nervorum esse affectionem certare videatur. Has diversissimas theorias igitur praetermittens scriptorem aliquem, qui magnam copiam hoc morbo laborantium observavit et cujus opinio nostrae optime quadrat, sequamur, nempe doctissimum atque peritissimum Doctorem *Leopold Leo* in libro suo de Cholera indica, eam nervorum et quidem systematis sympathici esse affectionem nuncupantem. Quod nunc autem primum ad varias opiniones de contagiositate hujus morbi attinet, quum nempe lis sit orta, num contagio vel miasmate propagetur, iterum theoriam ingeniosissimi *Harless* de contagiis et miasmate sequens et miasma esse et contagium credam, quum hercule quodque miasma, id est corpus anorganicum, sed nisu in organicam transeundi formam praeditum, etiam contagium fieri possit, postquam in organismum transiit, itaque cum antea aëre tantum propagari potuit, nunc praeterea contactu quoque propagetur. Caeterum autem et de hac re supra jam expositis principiis de hujus classis contagiis congruit opinio Doctoris *Leo*, qui, quamquam lectori judicium, num Cholera sit contagium an miasma, relinquens tamen statuit, eam non contagii alicujus fixi modo in Polonia esse propagatam, sed potius miasmatis volatilioris, atmosphaerae statu dependentis. Qua re phaenomenon aliquod characteristicum vocat, nempe: si Cholera usque ad fluvium aliquem venit, eum nunquam trajicit, priusquam per totum ejus littus migraverit.

Morbum tribus apparere sub formi dixit auctor noster, nempe A. Cholera gastrica. B. Ch. acuta. C. Ch acutissima.

A. Cholera gastrica. Postquam per paucos dies ru-

ctus et aliquae affectiones spasticae in scrobiculo cordis praeierant, sicut dolor premens etc., emesis violenta apparet, quam sedes multae sequuntur. Post emesin dolor non mitigatur, sed sub sterno potius augetur, simul dolores spastici in suris accedunt, emesi primo materiae virides vel nigricantes, deinde aquosae atque pellucidae evacuantur, sedes primo faeces resolutas deinde aquosas et virides illis emesi evacuatis materiis similes reddunt. Quae forma non est vera Cholera indica et secundum nostrum auctorem etiam in illam nunquam transit.

B. Cholera acuta vel *Ch. vera.* In *stadio primo,* nempe *diarrhoico* diarrhoeae copiosae per septimanas morbum ipsum praeeunt, et semper magis fiunt aquosae, deinde urinae similes. *Stad. secundum s. spasticum*: turgor vitalis, suppressa nervorum actione, fere omnino est extinctus, dolores et motus spastici extremitatum inferiorum, pulsus fere nullus, retentio vel suppressio excretionum, saepe completa paralysis vasorum capillarium et lymphaticorum, quare sudores illi gelatinosi oriuntur, quibus simillimas invenimus post mortem exsudationes in tractu intestinorum; quamquam autem hic sudor satis est calidus neque rarus, tamen sub illo cutis manet frigidissima. *Stad. tertium s. phlogisticum* celerrime percurrit nempe per duas ad quadraginta octo horas: violentissimus dolor in scrobiculo cordis, in abdomine et regione vesicae urinariae, ita ut non raro enteritis, carditis et cystitis oriantur. Pulsus durus et fortis interdum autem contractus, magnus, plenus; sedes omnino suppressae; congestiones ad caput, lingua rubra interdum fulgens, sicca. Interdum retentio urinae perstans, sed ubi urina emittitur, rubra est et sine sedimento, sitis violentissima, praecipue poscitur aqua frigida, oculi rubri et

fulgentes, aegrotus tamen semper sui manet conscius. *Stad. quartum s. typhodes*, quod fere semper est lethale: pulsus parvus, frequens, facile reprimendus, genae rubescunt, oculi rubri, aegrotus jacet in dorso, emesis et diarrhoea saepe sistunt, interdum autem hoc in stadio laxatur, sed sine aegroti voluntate; stupor; deliria mussitantia, attamen aegrotus expergefactus apte respondet. Lingua est raro aspera et sicca ut in typho. Leves spasmi clonici semper adsunt, aegrotus moritur generaliter post agoniam duodecim horarum. *Stad. quintum*: in quod etiam secundum et tertium transire possunt, et quod nihil aliud monstrat nisi diarrhoeam, qua tamen non magis illae sedes albidae emittuntur, sed quidem e flavo fuscae quinquies vel sexies per diem. Interdum diarrhoea sistitur et morbus tali modo solvitur, aliquando autem diarrhoea fit habitualis et efficit tabescentiam, qua aegrotus post nonnullos menses moritur.

C. Cholera acutissima fere nunquam res est therapiae, quum illa sicut febris flava acutissima et pestis hominem uno fere ictu necet. Plerumque potatores vel homines, qui affectionibus psychicis deprimentibus erant affecti, subito angore, diarrhoea, emesi, frigore corporis, colore viridi-caeruleo et praesagio mortis invadit. Sicut fulgore ictus, aegrotus succumbit, sudor glebosus totum obtegit corpus, extremitatum spasmi accedunt, oculus frangitur et mors inter duas ad tres horas adest. — Choleram affectionem nervi sympathici magni esse ex omnibus his symptomatibus apparere, auctor noster sustinet, nempe ex circulatione sanguinis turbata, et praesertim in pulmonibus, e spasticis ductus choledochi affectionibus, e retentione urinae atque alvi, ex sanguinis congestionibus ad organa interiora, ex doloribus in extremitatibus, dum

totum per morbum cerebri functiones semper usque ad mortem non turbantur. Qua re noster etiam in stadio secundo magisterium Bismuthi, quod secundum *Vogt* optimum ad sedandam nervorum gangliorum vim est habendum, specifice contra morbum agere et omnibus aliis remediis praeferendum refert. In caeteris vero stadiis contra symptomata urgentia tantum agendum putat, sicut contra diarrhoeam in primo, in tertio contra inflammationem omnem antiphlogisticum apparatum, quarto vero incitantia, ut serpentaria etc.

V I T A.

Ego Philippus Henricus Wolff, Berolinensis, veteri fidei addictus, anno MDCCCXIII. natus sum patre optimo Henrico Wolff, matre pietate maxima colenda e gente Herfortiana. Prima in litteris stipendia merui gymnasium Berolinense, cui est nomen Leucophaei adiens per octo annos. Examine, quo maturum me praestiteram superato, civium academicorum numero in alma litterarum universitate Friderica Guilelma ab Ill. Marheineke t. t. rect. Magn. anno MDCCCXXXII.

adscriptus et in album facultatis medicae relatus sum.

Tum adii duos per annos has praelectiones:

Osteologiam Ill. Schlemm, botanicen Ill. Schultz, chemiam Ill. Mitscherlich, logicen Cel. Beneke, anatomiam et generalem et specialem nec non artem cadavera dissecandi Ill. Schlemm, zoologiam Ill. Lichtenstein, pharmacologiam Ill. Link. Iterum botanicen Ill. Kunth, physiologiam Ill. Mueller. Iterum artem cadavera dissecandi Ill. Mueller et Schlemm. Pathologiam generalem Beat. Becker, pathologiam et therapiam specialem Ill. Bartels.

Duobus his annis peractis, Bonnam me contuli et Rectore Magn. Brandis medicinae studiosorum numero adscriptus ibi exercitationibus clinicis interfui tam propaedeuticis, quam therapeuticis Ill. Nasse. Praeterea Ill. E. Bischof, artem formulas medicas concinnandi docenti, operam dedi.

Berolinum iterum regressus, exercitationes clinicas adii medicas, chirurgicas et ophthalmiatricas nec non obstetricias Illustrissimorum atque Celeberrimorum virorum Rust, Truestedt, de Graefe, Busch, et Ill. J. Mueller de anatomia comparata disserenti operam dedi.

Quibus omnibus praeceptoribus clarissimis virisque egregiis summas ago gratias eosque pio animo semper venerabor.

Tentaminibus tam philosophico, quam medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. *Febres putridae esse non possunt.*
2. *Acida vegetabilia atque mineralia ita differunt, ut non raro fere contrario sint effectu.*
3. *Magnetismus atque Electricitas, vis vitalis regni mineralis.*
4. *Oculus non solum mentis sed etiam corporis speculum.*
5. *Cruda quoque sunt medicanda non solum cocta, ut ait Hippocrates.*
6. *Hydrophobia primo atque praecipue non glandulas salivales afficit, sed totum nervorum systema et praesertim nervos cerebrospinales atque cerebrum.*